opusdei.org

Solicitud de don Josemaría Escrivá al Obispo de Madrid-Alcalá, en la que pide la erección de la Sociedad Sacerdotal de la Santa Cruz como Sociedad de vida común sin votos; 13-VI-1943.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

12/01/2012

RHF, EF-430613-1.

Exc.me ac Rev.me Domine:

Infrascriptus Josephus Maria Escrivá de Balaguer et Albás, sacerdos, Piae Unionis, "Opus Dei" dictae, Praeses, humillimo fidentique filiali animo E.V. quae sequuntur

EXPONIT:

1°. Altera die octobris anni Dornini 1928 labente, divina gratia me, licet eadem indignum, adiuvante ac prius obtentis et paterna vestra benedictione et ultro libenter mihi oblato consensu, apostolicum munus ab E.V. commissum evolvere incoepi ínter iuvenes, qui discendi erudiendique causa Athaenea civilia frequentant.

2°. Nec res in cassum cessit. Deus etenim, qui Apostolo docente, dives est in misericordia, quique replet nos omni benedictione spirituali in Christo Jesu, plurimorum iuvenum corda tetigit mentesque illuminavit, ac, optimis quibusve studentibus in unum undique convocatis, quod haud parvo quidem sudore vultus nostri semen in terram bonam proieceramus, in quamdam veluti magnam arborem, Deo opitulante, excrevit, ita ut formam cuiusdam piae fidelium associationis induxerit, cui nomen "Opus Dei", et solide efformatae et omni spe repletae.

3°. lam vel ipso anno Domini 1941 decurrente, ac civilium intestinarumque commotionum, quibus Hispania nostra dilaniata fuit, dolorosa aeque ac gloriosa periodo clausa, quasdam directivas normas, ob eiusdem piae associationis magnum quidem incrementum omnino requisitas, approbationi

Vestrae libenti filialique animo subieci.

4°. Neque huic facto approbationis Constitutionum nostrarum ex parte E.V. alienum putamus incrementum illud, omnibus ac praesertim E.V. notum, quod horum annorum decursu, praefata dilectissima nostra pia associatio suscepit.

5°. His itaque omnibus maturo animo, coram Deo nostraque conscientia perpensis; habitoque insuper prae oculis desiderio eo, quo accendimur, magis magisque Sanctae Catholicae Ecclesiae inserviendi, una cum pluribus aliis commodis quae in maiorem diffusionem activitatis spiritualis nostrae, sodaliumque nostrorum potiorem tum scientificam tum spiritualem efformationem cederent, si Opus praedictum in fidelium associationem in communi viventium sine votis ad instar

Canonis 673 et sequentium erigeretur,

omnes et singuli sodales hanc Piam Unionem constituentes, E.V. demisissime

ADPRECAMUR

ut ipsam Piam Unionem in praefatam fidelium associationem E.V. erigere dignetur, iuris quidem dioecesani, normis a Codice luris Canonici statutis adamussim servatis, titulo huic associationi tributo "SOCIETATIS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS", subiectae regulis, quarum generalia delineamenta heic adnexa E.V. remittimus.

ET DEUS, ETC.

Matriti, in festo Pentecostes, die 13 ¡unii, anno 1943.

Pro me ac omnibus singulisque sodalibus meis, Pastorale Annulum

deosculantibus paternamque Vestram benedictionem, omnium bonorum auspicatricem, petentibus

Josemaría Escrivá de B.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado automáticamente desde https://opusdei.org/es-es/article/solicitud-de-don-josemaria-escriva-al-obispo-de-madrid-alcala-en-la-que-pide-la-ereccion-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-como-sociedad-de-vida-comun-sin-votos-13-vi-1943/ (27/04/2025)